

strare. Itaque thema ipsius est compositum. Scopus igitur ostendit, quale sit thema, num simplex, vel compositum; num principale, vel minus principale: ut, Ciceronis scopus est in illâ oratione, demonstrare, suum esse Cæsari agere gratias pro Marcello restituto, non autem in perpetuum tacere, sicut sibi proposuerat. Hoc igitur est thema compositum principale istius orationis.

3 *Invento themate principali, illud examinetur juxta communes affectiones & species thematis.*

Exempli gratiâ: thema *cap. 1. Genesew* est solitarium, reale, theologicum, practicum; quia finis ipsius ultimus non est cognitio, sed actio &c.

*Cap. 4. Exercitatio argumentosa  
in genere.*

**A**pplicatio argumentosa est, quæ versatur circa argumenta, eaque applicat themati secundum præcepta de iis tradita.

Ea consideratur in genere & in specie.

Applicatio argumentosa in genere considerata, est argumentorum Logicorum usus in declarando, demonstrando & amplificando.

Hâc de re est canon:

*Quodvis argumentum Logicum potest esse declarans, demonstrans, & amplificans.*

Animadvertendum est, locos Dialecticos, non solum probationis, sed etiam declarationis & amplificationis suppeditare materiam. Hoc pauci norunt; quidam qui norunt, impugnant, existimantes Logicam sibi habere propositam duntaxat probationem. Sed hanc opinionem esse falsam, usus ipse ostendet. Maneat igitur salva hæc hypothesis: *argumenta Logica possunt esse declarantia, demonstrantia & amplificantia*: seu ex quovis loco inventionis eruuntur hæc talia argumenta.

Usus argumentorum in declarando, est quo illa decla-

la decla-